

imperium, licet fuerit posterius, est status dignior regno; et ita est in proposito respondendum^{e)} ad formam argumenti, quia, licet papatus in persona Petri^{f)} fuerit post imperium, est tamen status nobilior et dignior imperio.

cap. 575 Responsio ad sextum argumentum^{a)}).

Ad sextum est dicendum, quod Christus filius regum, ut ipse testatur¹⁾, erat libere conditionis nec tenebatur solvere pedagium; sed quia pedagogii ipsum angariabant et turbatio et contentiones surgebant, precepit Petro, ut accepto statere de ore piscis pro utroque solveret, ne^{b)} pedagogii scandalizarentur. Ubi²⁾ dicit Crisostomus³⁾: 'Vide Christi prudentiam, qualiter non renuit tributum^{c)}, nec simpliciter iubet dare, sed prius hostendit se non esse obnoxium et tunc dat.' Quorum primum, scilicet dare tributum, fecit, ut exactores sive pedagogii non scandalizarentur; alterum^{d)} quod fecit, quia hostendit se esse^{e)} liberum, hoc fecit, ne^{f)} scandalizarentur^{g)} discipuli²⁾. Eodem modo precepit Iudeis solvere tributum Cesari, ne scandalizarentur satalites Herodis regis vicarii imperatoris et gladio interfecissent Iudeos vel destruxissent civitatem. Vel potest dici, quod, si ex hoc verbo Christi status imperialis fuit institutus, ergo imperium dependet a papa, quia Christus secundum humanam naturam erat verus papa; et tamen non propter^{h)} hoc sequitur, quod, si Iudei aliquo spetiali pacto inito cum imperatore essent obligati ad tributum, quod papa debeat solvere tributum nec alii clerici, quia nichil ad clericos de pactis aut tributis Iudeorum <spectat>.

cap. 576 Responsio ad septimum argumentum^{a)}).

Ad septimum est dicendum, quod aliqui imperatores¹⁾ propter collata beneficia ad ecclesiam promeruerunt^{b)} ab ecclesia multa privilegia sicut^{c)} Karulus magnus, qui liberaverat^{d)} ecclesiam a pressuris Desiderii regis Longonbardorum. Unde fuit factus patritius sive senator Romanorum et ei fuit concessum privilegium de investituris prelatorum et de ordinatione romane sedis²⁾; et omnia ista concessa sunt Karulo magno regi Franchorum Magantie et patritio Romanorum, non ut imperatori, quia nundum erat imperator, eiusque successoribus non in^{e)} imperio, sed in regno Franchorum Magantie, vel successoribus in patriaziato Romanorum; quam^{f)} multi patritii privilegio uti sunt <...>. Eadem ratio fuit de Otone primo, qui liberavit ecclesiam de manu Iohannis pape^{g)} destructoris ecclesie; sed Otto nundum erat imperator. Ex quo patet, quod supradicta numquam fuerunt concessa imperio sed personis postmodum in^{h)} imperio constitutis; et ponamus, quod talis conti-

^{e)} respondendo AO ^{f)} in persona Petri om. A

cap. 575 ^{a)} Responsio — argumentum om. O ^{b)} nec AO ^{c)} sed add. O ^{d)} alter inde A ^{e)} om. O ^{f)} ut A ^{g)} scandalizentur A ^{h)} per O

¹⁾ Vgl. Mt. 17, 23 ff. ²⁾ Ubi — discipuli vgl. Johannes Regina von Neapel, Quaestio 39 S. 339 b B. ³⁾ Comm. in S. Matth., Hom. 58 (al. 59), Migne PG 58, 567.

cap. 576 ^{a)} Responsio — argumentum om. O ^{b)} permeruerunt A ^{c)} fuit add. AO ^{d)} liberavit O ^{e)} om. O ^{f)} quia quo O ^{g)} pappe Iohannis tr. O ^{h)} om. O

¹⁾ Zum Folgenden vgl. Tholomeus von Lucca, DC 26, 4 ff. und 51, 32 ff. ²⁾ Vgl. D. 63 c. 22.